Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Reinhard Christian Adam Scoppius

[...] Hoc est, Dissertatio De Marginalibus Notis S. Codicis Ebraei Masoreticis in genere

[Wittenberg]: Henckelius, 1674

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

73.

Fa - 1092 (73.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0003
DFG

בעהקקק:

Syllabus Eorum,
Quæ
Tomo Boc. IV. Continentur.

I. Antonii Aulisii Theologia Judaica.
II. Oleani Synopsis Errorum Pontificiorum.
III. Ejusdem Syn. Errorum Calvinianorum.
IV. Ejusdem Syn. Errorum Arminianorum.
V. D. Scherzeri Theses Anti-Syncretisticæ.
VI. Cl. Erdmanni Ky Præs. D. Alabickhorstii Actare Gideonis ad Jud. VI. 24.
VII. M. Willemeri חלק הטוב ex Ps. LXXIII, 25. 26.
VIII.
IX.
X.
XI. } M. Gerhard Meyer זרוע של משיח ex Jesai. LIII, 10.
XII.
XIII. } M. Dassovii Rabbinismus Philol. Sac. Amicalis ad Jerem. XXVIII, v. 6.
XIV. M. Willemeri Hoseas Αὐτόπτης ad Cap. XI, 7.
XV. Dn. Stollbergii Sapientia a Liberis Justificata Matth. XI, 19.
XVI. Dn. Schurtfleischii Johannes Ἐπιπλήκτης. XVII. Jde. de Λόγῳ
XVII. M. Rentschii Præside D. Meisnero de Capernaismo.
XVIII. M. Tentzelii Præs. Dn. Stollbergio de Proselytis Judæorum Act. XVI, 13.
XIX. M. Stromeyeri Præs. Seb. Schmidio ad Rom. I, 16.
XX. Schurtfleischii hyphemismus Paulinus.
XXI. M. Weihenmayeri de Authematismo Paulino. I Cor. XVI, 22.
XXII. Jacobi Leontii de Prætore & Prætorio ad Phil. I, 13.
XXIII. Ejusdem Altera.
XXIV. Kochii Sub Præsidio D. Bajeri de Affectantibus Parochiam I Tim. III, 1.
XXV. M. Storrii Præside Carpzovio Petrus fidei. ex II Pet. I, 19. 20. 21.
XXVI. Dn. Majoris de Inspiratione Scripturæ S.
XXVII. D. Joh. Fausti de Gloria Immutabilitatis Script. S.
XXVIII. M. Reinhardi קרי וכתיב הכפרת.
XXIX. Dn. Sennerti de Origine Linguæ Ebraeæ.
XXX. D. Welleri הקציר.
XXXI. Schurtfleischii Philologemata Miscella.
XXXII. M. Beckii Usus Phylacteriorum Judaicorum.
XXXIII. Jacobi Rhenferd Archisynagogi Oratio de Sortilegiis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0006
DFG

XXX.

29.

בשׁ״ש

קרי וכתיב המסורת

Hoc est,

DISSERTATIO

De

Marginalibus Notis

S. Codicis Ebræi Masoreticis

in genere.

Quam

DIVINO ADSPIRANTE NUMINE,

In

Celeberrimâ ad Albim Academiâ,

PRÆSIDE

VIRO PRÆCELLENTE ATQVE PRÆCLARISSIMO,

DN. M. JOH: REINHARDO,

Hilperhusâ Francô,

Fautore ac Præceptore suo, omni honoris cultu

ætatem suspiciendo,

Placido Φιλολογύντων examini sistit

AUTHOR-RESPONDENS,

CHRISTIANUS ADAM SCOPPIUS,

Vratisl. Silesius.

Ad d. XI. Febr. Annô M. DC. LXXIV. H. L. consvetis.

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

32.
34.
5.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0007
DFG

Inclytæ & florentissimæ
REIPUBLICÆ FREIBERGENSIS
MAGISTRATUI,
VIRIS
Nobilissimis, Consultissimis, Amplissimis, Prudentiâ,
& rerum usu decoratissimis, Patribus conscriptis,

DNN. CONSULIBUS,
DNN. PRÆTORIBUS,
DNN. CAMERARIIS,
ac reliqvis ordinis SENATORII VIRIS
spectatissimis, gravissimis,

Dnn. Mecœnatibus, ac Evergetis studiorum suorum summis, humillimæ subjectionis cultu ætatem venerandis,

Disputationem hanc Academicam

Publicum debitæ gratitudinis Testem
esse vult

CHRISTIAN-ADAM SCOPPIUS,
SS. Th. Stud.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0008
DFG

אלהים

Vid sibi velint, cujusq; Authoritatis sint Notæ Criticæ S. Codicis Ebræi marginales, scire, non sanè est de re nihili, vel parvi momenti. Si enim ejusdem Authoritatis cum ipso textu h. e. θεοπνεύστος *esse dicas, fidem illis adhibeas oportebit, ceu ipsissimo DEI verbo, neqve nonnunqvam tibi à lectione marginali recedere, textualemve illi præferre licebit, ubi lectionis diversitas deprehenditur, qvod tamen tuto qvandoqve fieri posse, Interpretes Orthodoxi sibi habent persvasum. Sin, qvòd divinæ Authoritatis indigitata Critica non sit, certus sis,* παῤῥησιαστάτως *necessitate urgente lectionem marginalem susq; deq; habere poteris. Non operam itaqve ludemus, speramus, si pro virili hanc qvæstionem juxta ac cum illâ, qvid sibi hujusmodi notæ velint? persequi nitamur. Tu verò summe DEUS ipse Sapientiæ fons & origo,*

Huc ades & nostris clemens allabere cœptis!

CAPUT I.

De

CAUSA EFFICIENTE.

Qværitur

Qvibusnam קְרִי וּכְתִיב *aliæq; hujus generis notæ marginales S. Codicis Ebræi acceptæ ferendæ sint?*

§. 1.

AD hanc qvæstionem, eô qvô par esse videtur modô, tractandam, qvatuor sistenda videmus. (1) Circa statum controversiæ aliqvid præmonebimus. Subjiciemus (2) Antithesin, (3) Fundamenta hanc ipsam impugnantia: & deniqve (4) mentem nostram de qvæstione aperiemus.

§. 2. Circa *ſtatum controverſiæ* obſervandum venit, nobis non eſſe ſermonem (1) de literis vel punctis vocalibus; circa qvæ notæ Maſoreticæ verſantur, atqve ita ſunt harum objectum; licet non deſint, qvi puncta vocalia & Maſoram iisdem transſcribere Authoribus ſatagunt. Inter Chriſtianos extra omnem poſitum ſit controverſiæ aleam, puncta vocalia cum conſonantibus S. Codicis eſſe θεόπνευςα, ſive deinde illa hisce dicantur coæva, qvod veriſimilius eſſe videtur Magnif. Dn. D. Calovio in Crit. S. p. 145. ſive accepta ferantur Eſdræ, qvæ ſententia eſt Buxtorffii & aliorum complurium. Sed impræſentiarum agimus controverſiam de notis illis Criticis Maſoreticis, qvæ occupatæ ſunt circa conſonas & vocalia ſacra, inferiùs deſcribendis. Nec (2) ſolliciti ſumus de Maſorâ in genere, ſive parvâ, ſive magnâ, vel cunctis notis Maſoreticis; ſed tantùm de iis, qvæ nemini non ob oculos verſantur, inſpicienti S. Codicem Ebræum, ejusdemqve marginalia, qvæ, à potiori denominatione deſumta, in genere vocari conſvevêre קְרִי וּכְתִיב, qvamvis multæ inter illas deprehendantur, qvæ alius generis ſunt. Dicuntur autem Maſoreticæ, qvia ſunt Maſoræ pars primaria, & proinde iisdem Authoribus, atqve Maſora, meritò acceptæ feruntur.

§. 3. Qvantum ad *Antitheſin* notandum, varios varias fovere ſententias; (1) *Rabbini Talmudici*, & qvi hisce ex Ebræis adſtipulantur, militant, præcipuam hanc Maſoræ partem eſſe הֲלָכָה לְמֹשֶׁה מִסִּינַי *traditionem Moſis de monte Sinai*, h. e. ad Moſen ratione originis referendam eſſe, ipſum primùm acceptum in monte Sinai Senioribus ſuis tradidiſſe hunc dicendi modum; qvòd ad duplicem innuendum ſenſum, & aliqvando ad aliqvid occultè inſinuandum poſſint qvædam voces aliter ſcribi, & aliter legi; vel legi & non ſcribi, ſcribi & non legi, &c. rationemqve legendi in margine ſignificari. Unde piaculo ipſis eſt, voces ita legere, ut in textu ſcriptæ habentur; ſed in columnarum margine indicatas ſub pœnâ excommunicationis efferendas eſſe cenſent. Uti commemoratur exemplum de qvodam, qvi legit vocem talem, prout ſcripta erat. Juſſerunt hunc audientes Magiſtri lectionem repetere, & ſecundum traditionem vocis marginalis legere. Ille verò juſſui eorum obtemperare recuſans, de ſuggeſtu, ex qvo verba faciebat, deturbatus, excommunicatus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0010
DFG

tus est, eò qvod transgressus esset rem, qvæ sit consvetudo sive traditio Mosis ex monte Sinai. Vid. Buxtorf. in AntiCapp. p.173. & 174. (II.) Qvidam ex Ebræis cum Buxtorf. & aliis Christianis haud paucis notas illas temporibus Esdræ transcribunt, & qvidem אַנְשֵׁי כְנֶסֶת הַגְּדוֹלָה *Viris Synagogæ magnæ*, sive Concilio magno 120. Virorum, ab Esdrâ Sacerdote, ejus Præside, post exilium Babylonicum Hierosolymæ congregato, cujus ope & auxilio Ecclesiam Hierosolymitanam & Judaicam universam restauratâ, & à multis corruptelis, erroribus & vitiis in Babylonicâ captivitate irreptis, repurgatam esse volunt. (III.) Non desunt, qvi statuunt, notas hasce conscriptas esse à Magistris Tiberiensibus, qvi post confectum Talmud, in seculo qvinto & sexto à nato Salvatore nostro, in urbe Tiberiade ad mare Galilææ sitâ, convenerint. Narrantur de indigitato conventu seqq. Cùm Judæi post restauratum templum gravissima exilia passi es- „
sent, Scholæ ipsorum paulatim dilaberentur, Viri docti, inprimis „
post absolutum Talmud deficerent, S. Scripturæ lectio & studium „
propter studium Talmudicum evilescceret, manuscripta exempla- „
ria Biblica non omnia fuerunt pariter correctè & emendatè scri- „
pta, sed propter Scribarum tùm pigritiam, tùm imperitiam, arro- „
gantiam & audaciam à verâ & genuinâ scriptione fuit qvandoqve „
à nonnullis aberratum, aliqvaqve hinc exemplarium differentia „
extitit. Huic malo ut obviam iretur, exsurrexerunt inter multos „
alios etiam Tiberiade, ubi & lingvam habuerunt accuratam, & „
in lectione Biblicâ peritos atqve exercitatos Viros, qvi collatis ex- „
emplaribus punctatis, atq; pro lingvæ peritiâ accuratô judiciô ad „
hibitô, & correcta exemplaria descripserunt, & illa eâ Masoræ „
parte muniverunt & instruxerunt, qvâ voces præcipuas omnes „
non solùm secundum literas, sed & secundum puncta ad vitandam „
imposterum illam varietatem & discrepantiam numerârunt, hanc- „
qve suam sepem vel libris Biblicis ad finem subjunxerunt, vel tex- „
tui ipso circumduxerunt. Hisce tribuit Masoram etiam Au- „
thor arcani punctationis *Ludovicus Cappellus*, qvem refutat *Buxtorf. Filius* in peculiari tractatu. Secutus est hâc in parte Eliam Levitam, celeberrimum superioris seculi Grammaticum Ebræum, in libro מסורת המסורת præfat. 3. His etiam fidem

dedit *Huntlæus* è Pontificiis, qvi in Epitom. controverſ. 11. cap. 9. ait: *Hujusmodi depravationes* (ita vocat notas Maſoreticas) *factas eſſe paucorum Rabbinorum malitiâ, illorum præſertim duorum, qvi puncta & diſtinctiones excogitârunt, qviq; impiisſimum illud Talmud confecerunt.*

§. 4. Verùm enim verò, qvod ultimam hanc ſententiam attinet, qvæ refert Maſoram ad tempora poſt-Talmudica, non neceſſe habemus, eam ſub examen prolixum revocare. Sufficiat labor ille exantlatus in refutandis adverſariis Virorum Clariſs. Buxtorfii in Tiber. & Filii in Anti Capp. item Magnif. Dn. D. Calovii in Critico ſuo Sacro. Opponimus illis vel unicum hoc argumentum:

Cujus mentio fit in ipſo Talmude, illud non eſt referendum ad tempora poſt-Talmudica.

Atqvi Maſoræ mentio fit in Talmude. E.

Non eſt referenda ad tempora poſt-Talmudica.

Minor probatur. In Talmud Babyl. *Megillah cap.* 1. *fol.* 3. ſic legitur: *Qvid ſibi vult, qvod ſcribitur Nehem.* 8. *v.* 8. *Et legerunt in libro illo, in Lege DEI explanatè, & appoſuerunt intellectum, & intellexerunt lectionem? Per hæc verba: Et legerunt in libro illo, in Lege DEI, intelligitur textus Ebræus; per explanatè, intelligitur Targum; Per hæc verba: Et appoſuerunt intellectum, verſus; Per: & intellexerunt lectionem; intelliguntur diſtinctiones accentuum:* וְאָמְרֵי לֵיהּ אֵלּוּ הַמָּסוֹרוֹ' שְׁכָחוּם וְחָסְרוּ וְיִסְּדוּם h. e. *Alii voluerunt intelligi Maſoras; obliti enim eorum fuerunt, ſed tunc reſtaurarunt ea.* Sic in Talmud Hieroſolymit. Meg. cap. 4. *Et legerunt in libro illo, in Lege DEI, hic eſt textus Ebræus. Explanatè*; h. e. *Targum. Et appoſuerunt intellectum; hi ſunt accentus. Et intellexerunt lectionem illam ſive Scripturam illam:* זֶה הַמָּסוֹרוֹת *hoc dicitur juxta qvosdam de Maſoreth* &c. Poteſt hîc & urgeri illud axioma Talmudicum: אם למקרא ויש אם למסורת h. e. *Eſt Mater Scripturæ, & eſt Mater Maſoræ.*

§. 5. Habet etiam hæc ſententia ſibi adverſantes omnes ferè Ebræos, uti non diffitetur Elias Levita, qvi in præfat. מָסוֹרֶת הַמָּסוֹרֶת tertiâ ſcribit: הִנֵּה דַעַת רוֹב הָאֲנָשִׁים שֶׁעֶזְרָא וְסִיעָתוֹ שֶׁהֵם אַנְשֵׁי כְנֶסֶת הַגְּדוֹלָה עָשׂוּ הַמָּסוֹרֶת וְהַנִּקּוּד והטעמים

וְהַטַּעֲמִים עַל כָּל־הַמִּקְרָא׃ *Ecce sententiâ multorum est, Esdram scribam & concilium ejus, nempe Viros Synagogæ magnæ, fecisse Masoram, punctationem & accentus super tota Biblia.*

§. 6. A Tiberiensibus Magistris longè post 500 à nato Christo annos, Masoram esse inventam, vix ac ne vix qvidem cum Chronologia conciliari poterit. Qvanqvam enim constet, studia literarum in terrâ Israëlis post excidium Urbis fuisse restaurata, urbem qvoqve Tiberiada à literarum laude non incelebrem fuisse, usqve ad annum Christi 230. Post hæc tamen tempora nihil admodum celebre de Scholis literarum q; studiis in Judæa Chronica Ebræorum referunt. Mortuus enim tum R. Jehuda post publicatum Talmud Hierosol. post cujus obitum studia literarum in Judæâ dissipata fuerunt, & scholæ in Babyloniam translatæ, ubi etiam Talmud alterum tandem enatum circa annum Christi 506. prodiit. Et licet post R. Jehudæ aliqvem adhuc Scholarum in Judæa florem perdurâsse admittatur, in Hillele tamen circa annum Christi 340. non desiit tantùm promotionum Magistralium in Palæstinâ dignitas, adeo q; verisimile, etiam Professiones & publica docendi exercitia desiisse, sed nec uspiam vestigia conspiciuntur, studiorum Scholæ Tiberiensis ultra 400 annum à Christo nato superstitum. Nullo ergò modo verisimile, post 500 aut circa 600 annum à Christo nato, vel etiam ulterius tot Doctores Tiberiade adhuc extitisse, qvi omnium Judæorum in legendâ Scripturâ fuerint exercitatissimi, & tàm præclarum, tàm admirandum opus confecerint, qvod ubiqve terrarum ab omnibus tum Judæis tum Christianis qvoqve tam religiosè susceptum, & ceu divinum oraculum habitum. Ita Magnif. Dn. D. Calovius in Crit. S. edit. 2. p. 101.

§. 7. Nec tamen subscribere possumus alteri sententiæ, vel Talmudicorum, vel aliorum, qvatenus ab ipsis commemoratæ notæ tribuuntur Viris θεοπνεύστοις. Sed annumeramus notas hasce Criticas hominibus, errare haud nescii, doctissimis tamen Ebræis Criticis, qvi ante Talmud conscriptum, post tempora Esdræ vixerunt. Ad hanc sententiam fovendam argumentis sanè non levis momenti adducimur.

§. 8. Nam

§. 8. Nam (I.) hujusmodi notæ sunt non rarò correctiones mendorum, ex incuriâ Librariorum irreptorum; Qvis autem sibi persvadebit, Spiritum Sanctum, qvi Author ipsius textus est principalis, veritum fuisse aliqvid in textu corrupto mutare, ac proinde correctionem in margine notasse? hujusmodi metus DEO neutiqvam tribuendus est.

§. 9. (II.) Notæ Masoreticæ, marginales, deprehenduntur etiam in libris ab Esdrâ & post Esdram scriptis; non itaqve ab Esdrâ & συγχρόνοις hujus Viris ipsæ potuere esse profectæ.

§. 10. (III.) Si Critica hæc esset θεόπνευστος, ceu ipsum DEI verbum suscipienda esset. Qvid autem fiet cum illis notis, qvæ sistunt aliam lectionem in margine, qvàm est in textu? Si præfertur marginalis, derogatur textuali, qvæ tamen ὁμολογουμένως θεόπνευστος est.

§. 11. (IV.) Sunt nonnullæ notæ, qvæ superstitionem sapiunt Judaicam, illæ videlicet, qvæ nonnullas voces in vulgari sermone apud Judæos obscœnas reticendas, & alias honestiores substituendas monent. Hasce Spiritui S. tribuere, piaculo esto.

§. 12. (V.) E Clar. Fabricii b. m. sententiâ argumentum deducere possemus è Gen. IV. 8. ubi juxta ipsum in margine notatur, viginti octo versus deficere, puta colloqvium Cainicum cum Abele in campo. Defectus sanè neutiqvam concedendus est, cujus assertio etiam omni planè destituitur fundamento. Errasset itaqve nota marginalis; absit autem longissimè, ut Spiritui Sancto errorem adscribamus. Donemus etiam, hanc explicationem à mente Masoretarum alienam esse, & ab his tantùm significatam fuisse pausam, qvòd viginti octo in Bibliis reperiantur versus, qvi in medio habeant hiatum vel pausam; non tamen ab omni errore immunis esset Masora. Nam Gen. XXXV. 22. notatur כה non כח h. e. viginti qvinqve, non viginti octo esse versus, qvi in medio habeant pausam. Aut igitur cap. IV. aut cap. XXXV. error est commissus.

§. 13. (VI.) Errorem etiam habemus Gen. XXXVII. 12. ubi Masora habet notam accusativi את — esse unam è qvindecim vocibus punctatis in Lege. Notam hanc falsam esse, docet etiam Buxtorf. in Thes. Gramm. p. m. 63. In lege enim tantùm decem sunt; at in universâ Scripturâ qvindecim.

§. 14. (VII.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0014
DFG

§. 14. (VII.) Geminum argumentum suppeditat nobis Masora circa particulam לֹא. Juxta ipsam enim qvindecim in locis scribitur לֹא pro qvo legendum לוֹ *ei*; ipsa loca sunt Exod. XXI. 8. Lev. XI. 21. & XXV. 30. 1. Sam. II. 3. 2. Sam. XVI. 18. Ps. C. 3. CXXXIX. 16. 2. Reg. VIII. 10. Jes. IX. 3. & LXIII. 9. Esdræ IV. 2. Job. XIII. 15. XLI. 3. Prov. XIX. 7. & XXVI. 2. Argumentamur hîc (I.)

Qvæcunqve Critica dicit, tantùm qvindecim esse loca, in qvibus לֹא ponatur pro לוֹ, cùm tamen plura occurcurrant, illa errat.

Atqvi Critica Masoræ dicit prius, cùm tamen plura occurrant. E.

Minor, qvoad posterius membrum, patet è Jes. XLIX. 5. 1. Par. XI. 20. Job. VI. 21. Argumentamur (II.)

Qvæcunqve Critica pro לֹא legendum לוֹ annotat, ubi tamen לֹא meritò retinetur, illa errat.

Atqvi Critica Masoræ &c. E.

Minoris veritatem facilè videt, qvi loca evolvit; id qvod etiam suis in locis erit ostendendum. Hujusmodi generis argumenta plura adduci possent; sed pergendum nobis est ad alia.

CAPUT II.

De

CAUSA FINALI.

§. 1.

CAusam *efficientem* meritò excipit altera causa externa, *finalis* nempe, cujus gratiâ inventæ fuerint notæ nostræ marginales S. Codicis Ebræi cum reliqvâ Masorâ? Et hîc haud exiguus iterum inter eos dissensus deprehenditur, qvi suam de Masorâ dederunt ἐπίκρισιν. (1.) Talmudicorum mens est, qvod notæ קרי וכתיב à Mose ad duplicem innuendum sensum, & aliqvando ad aliqvid occultè ininsinuandum træditæ sint. Vide suprà. (2.) Temporis fallendi causa Masoram esse compilatam à Tiberiensibus, sentit Author arcani punctat. sive Lud. Cappellus, *qvasi in observatiunculis qvibusdam otiosorum hominum instar, circa corticem literarum externũ occupati fuerint, perinde, ut pueri lascivientes in niveis pilis per ludum & jocum exstruen-*

 dis,

dù, qvæ initio molis exiguæ, pòst, ubi aliqvandiu huc & illuc circumactæ & versatæ sunt, in vastam molem excrescunt. (III.) Ad corrumpendum textum sacrum inventam esse Masoram malitiosè, est qvorundam Pontificiorum sententia, inprimis Gordoni Huntlæi in Epit. controv. II. c. 9. *Masoretas has suæ depravationes voluisse incognitas esse, non modò Christianis, sed etiam coævis Judæis, qvi tantâ impietate offendi potuissent, & ut hoc facilius præstarent, asseverâsse, suas correctiones non esse suas, sed ipsius Esdræ Prophetæ.* (IV.) Pleriqve Ebræorum, ut & Buxtorf., Dn. Joh. Ernest. Gerhardus b. m. & complures alii è Christianis finem Masoræ ajunt fuisse præservationem Scripturæ à futurâ corruptione. Hinc definitio: *Masora est Doctrina Critica, à priscis Ebræorum Sapientibus, circa textum Ebræum SS. inventa, qvâ versus, voces, & literæ ejus numeratæ, omnisq; ipsarum varietas notata, & suis locis, cum singulorum versuum recitatione, indicata est, ut sic constans & genuina ejus lectio conservetur, & ab omni mutatione aut corruptione æternùm præservetur & validè præmuniatur.*

§. 2. *Prima* sententia non meretur calculum, ex eo, qvòd unius loci vel dicti non nisi unus sensus sit admittendus, & qvòd ille non in literis materialiter & seorsim acceptis sit qværendus, sed in vocibus formaliter spectatis. *Secundam* & *Tertiam* refellunt non tantùm Doctores Ebræi suis Masoræ encomiis & testimoniis, sed ipsa etiam αὐτοψία & penitior Masoræ inspectio & pensitatio. Non ludicram ludunt operam, qvi textum qvâ literas vel puncta vocalia corrigunt corruptum librariorum incuriâ, qvi diversas annotant lectiones, qvi vocum anomaliam indigitant, qvi versus, voces & literas numerant, ut constans & genuina ejus lectio conservetur, & ab omni corruptione æternùm præmuniatur. Atqvi hæc sunt, qvæ potissimùm præstant Masoretæ in suâ Criticâ. Et si hæc, qvomodo scopus Authorum potest dici textus corruptio? Loca, qvæ ab Huntlæo & aliis adducuntur ad probandam corruptionem, vindicata habes in Critico S. Magnif. Dn. D. Calovii *Diatribe VI. de purit. sont. Vet. Testam.*

§. 3. *Vltima* itaqve sententia meritò retinetur à nobis. Rabbini passim vocant Masoram סְיָג לַתּוֹרָה *sepem legis.* Aben Esra

ait

ait in princ. libri יסוד תורה *Certè merces magna Authoribus Masoræ debetur, qvi sunt* פשומרי חומות העיר *qvasi custodes murorum civitatis: propter eos enim perstat Lex Domini, & libri sancti in formâ suâ, absqve ullâ additione aut detractione.* Qvam religiosè versati sint Masoretæ in textu sacro ab omni „ corruptione vindicando, res ipsa loqvitur: cum vel vocem „ saltem, imò vel literam aliqvam immutare, piaculum duxerint, „ etiamsi naturam lingvæ, & contextum id exigere crederent, „ adeoqve textum ita prorsus reliqverint, prout in Codicibus „ suis deprehenderunt, addictâ saltem notâ, diversam lectionem „ indicante. Unde etiam literas irregulariter scriptas, & vel in- „ versas vel suspensas, vel à dictione posteriori ad priorem, aut „ contra surreptas, vel deficientes, vel excedentes qvantitate &c. „ qvas fortè in aliqvibus reperierunt Codicibus, non correxe- „ runt, sed anomaliam ejusmodi ob singularem reverentiam & „ religionem erga Codices sacros admiserunt, & ad posteritatem „ propagârunt. Ita Magnif. Dn. D. Calov. in *Crit. S. Diatr. VI. p. m.* 174.

CAPUT III.

De

CAUSA MATERIALI.

§. 1.

PRælibatis itaqve his, qvæ ad eruendam originem Notarum Masoreticarum, earundemqve scopum fecerunt, tendimus ad *materiam*. Exhibemus hîc brevissimis *species notarum indigitarum*. Commodè hæ ad seqventes classes referri possunt, putamus.

§. 2. (I.) Significat ejusmodi censura marginalis Masoretica literæ, vel puncti vocalis unius aut plurium defectum sive absentiam, ut in voce מרשיות pro מראשיות Deut. XI. 12. ubi specialis nota marginalis est, חסר א h. e. חָסֵר אֶ deficit litera א.

§. 3. (II.) Significatur etiam censurâ Masoreticâ literæ unius vel plurium abundantia, & qvidem specialiter voce יתיר vel יתורא aut יתורה, ut Gen. XXVII. 3. legitur in textu צֵידָה venatio, in margine habetur ה יתורה i. e. litera ה abundat.

§. 4. Observatione dignæ sunt (III.) illæ notæ marginales, qvæ correctionem σφαλμάτων, per incuriam Scribarum vel Librariorum irreptorum, indicant. Salutantur illæ proprio & specialissimo sensu קְרִי וּכְתִיב, & per abbreviaturam literis קְ & כְ lineolis superimpositis indigitantur. Conjunguntur qvandoqve ita: כְּתִיב וְלֹא קְרִי; qvandoqve adverso modo: קְרִי וְלֹא כְתִיב. Ut plurimùm significatur ipsis, vocem aliqvam qvoad hanc vel illam literam tantùm aliter legi, qvàm scripta est; ut Exod. XIII. 11. Interdũ volunt hujusmodi notæ, integras voces scribi, qvas non legendas esse judicant Critici, ubi verba marginalia sunt כתיב ולא קרי, & contrà etiam significant, qvandoqve, integras voces non scribi, qvas tamen Critici legendas esse existimant. Prioris exemplum invenimus Jer. LI. 3. ubi in textu vox יִדְרֹךְ bis scribitur, unâ vice subtractis vocalibus, alterâ omissis, notaturq; in margine à Masorethis כתיב ולא קרי Posterioris exempla occurrunt, qvando tantum Vocales in textu extant, consonantes verò à Masoretis in margine adjiciuntur, ut Jer. XXXI. 38. in textu habetur . ° - & additur in marg. באים קרי ולא כתיב in qvibusdam exemplaribus. It. 2. Sam. XVI. ult. Nonnemo sentit, per hujus generis notas marginales Judæos correctores suos castigâsse, *Ea de causa*, inqvit, *ipsi Judæi aliqvando Correctorum suorum castigationes nolunt recipere in margine, sic scribentes*, כתיב ולא קרי, *valeat textualis Scriptura, non marginalis correctura* 2. Sam. XI. ad v. 21. *contra valere ajunt* קרי & *non* כתיב, ut 2. Sam. XVI. ad v. ult. איש קרי ולא כתיב *valeat correctio per* איש *non scriptio per* ישאל &c. Verùm enim verò in expositione notarum marginalium præsupponit Author, qvod τὸ קְרִי semper significet, *marginalem lectionem valere, non textualem*: & כתיב significare, *textualem lectionem valere*,

lere, non marginalem; atqve sic correctiones Masoretarum esse ab ipsis Judæis correctas. Sed non immeritò qvis dubitaverit de istâ hypothesi; קרי nihil aliud significat, qvàm qvòd illud, qvod ipsum respicit, legi debeat vel legatur, à קָרָא legit, formæ פָּעוּל, uti כתיב itidem exigit, ut vox, qvæ respicitur hâc notâ, scribi debeat vel scribatur, à כָּתַב scripsit, itidem formæ פָּעוּל. Leusden. in suâ præfatione Bibl. Joseph. Athiæ loqvitur ita, uti paulò ante nos locuti sumus, nimirum קרי ולא כתיב significare integras voces legi, qvas Critici non scribendas esse judicant, & è regione כתיב ולא קרי integras voces scribi, qvas Critici non legendas esse volunt. Sic etiam Buxtorf. in Anti C. p. 178. כתיב ולא קרי ita exponit: *Scripta est hæc vox, sed non lecta, &* קרי ולא כתיב Jer. XXXI. 38. sic: vox באים *hîc legitur, licet non scribatur.* Habemus hîc duplicem expositionem, unam *Leusdenii*, alteram *Buxtorfii*; *Leusdenius* exponit marginalem notam ex mente Dd. Hebræorum ita, ut superstitione non careat; *Buxtorfii* autem explicatio est nostra: dicimusqve, divinæ providentiæ esse acceptum ferendum, qvòd Judæi nihil exigui ausi fuerint mutare in textu, ubi forsan incuriâ Scribarum passa est Scriptura corruptionem aliqvam, qvæ facilè corrigi potest.

§. 5. Duo hîc potrò in qvæstionem veniunt: (I.) *An* קרי *marginale semper textum corrigat?* Brougthonius negat, ubi marginales lectiones corruptionum factarum esse indices, sed utramqve lectionem tàm textualem qvàm marginalem niti firmissimis rationibus. Dn. D. Wasmuthus Grammat. Ebr. Reg. 31. p. 116. itidem correctionem כתיב non permittit, ubicunqve קרי habetur in margine, sed significari vult tantùm, anomaliam Grammaticam esse in כתיב. Si hoc tantùm vellet Vir Clarissimus, qvòd non facilè eo sit deveniendum, ut statuatur, קרי lectionem textualem corrigere, utrâqve subscriberemus. Qvò plures enim admittuntur correctiones, eò plures admittendæ sunt corruptiones. Jam autem minus tutum est, textum statuere corruptum, ubi nulla id statuendi necessitas urget. Non tamen dicere licet, qvòd utraqve lectio sit retinenda, vel qvòd ubiqve כתיב sit à corruptione immune. Exempla

complura in contrarium adduci possent. Inprimis urgemus illas notas, qvæ לוֹ poni volunt pro לֹא, ubi sanè utraqve lectio stare non potest, cùm impossibile sit, duo contradictoria esse simul vera. Neqve verisimile est toties, qvoties occurrit, h.e. qvinqvies & decies, juxta computationem Masoretarum; vel pluries, cùm plura observare liceat, diversitatem lectionum indigitari. Neqve negari potest mendosè scribi יָךְ pro יָד manus 1. Sam. IV. v. 3. אֱלֹהֶיךָ pro אֱלֹהִים DEUS. 1. Reg. I. 47. &c. Vid. Andr. Sennertus Fautor ac Præceptor noster maximè venerandus in positionibus Philolog. nuperrimè publici juris factis Th. 6.

§. 6. Qvæstio II. est: *Num* קרי *marginale semper præferendum sit lectioni textuali s.* כתיב? Negamus qvæstionem cum Dn. Fabricio b. m. in part. p. 15. Nam, ut vel duo saltem exempla adducamus, non semel tantùm nota marginalis לוֹ ponitur legendum pro לֹא, ubi tamen כתיב negativum meritò præfertur קרי. uti vel ex Exod. XXI. 8. patet. Deinde erroneum est קרי Prov. IV. 2. ubi notatur legendum לִבְנִי pro לִבֵּנִי uti habetur in textu, cujus sensus optimè sese habet: *Filius sum Patris mei tener, & unicus coram Matre meâ*; malè autem, si ita vertatur ê lectione marginali: *tener & unicus de filiis matris meæ*; qvasi mater Salomonis Bathseba plures habuisset filios præter Salomonem & infantem illum, ante octiduum mortuum. Hinc notis illis marginalibus non semper fides adhibenda est, diligensqve examen ejus prius instituendum, qvàm textuali lectioni præferatur. Dominetur lectio textnalis tamdiu, donec σφάλμα fuerit deprehensum.

§. 7. Nec (IV.) illæ notæ silentiô sunt prætereundæ, qvibus in margine per verba honestiora obscœnæ efferuntur voces, uti videre licet Deut. XXVIII. 30. ubi in margine pro שגל legendum monetur שכב. Sic pro מומראות latrinæ 2. Reg. X. 27. substituitur מוצאות *loca egestionis*. Fit hoc in aliis etiam Scripturæ locis ut 2. Reg. VI. 25. 1. Samuel. VI. 17. 2. Reg. XVIII. vers. 27.

§. 8. Inveniuntur (V.) notæ marginales, literas qvasdam esse formæ majusculæ, indicantes, additâ voce רבתי h.e. רַבָּתִי, vel

vel, uti nonnulli volunt, רַבָּתִי magnum à רבב, ut Gen. I. vers. 1. ב״ רבתי Lev. XIII. 33. Deut. VI. 4. ubi duæ literæ majusculæ ע & ד. Multi sunt, qvi hujusmodi literas majusculas habent pro mysticis, profundiorem sensum intimantibus. Nos autem ipsas cum Cl. Dn. Fabr. in part. p. 17. qvantitatis literæ correctiones esse, persvasi sumus; de qva re alibi.

§. 9. Sunt etiam notæ marginales (VI.) qvæ formam literæ minusculæ designant voce זְעִירָא vel זְעִיר i.e. parvum e. g. Gen. II. 4. ubi ה״ זעיר reperitur. Conf. Gen. XXIII. 2. Lev. I. 1. Num. XXV. 12. & passim. Ea, qvæ de literis majusculæ formæ inculcata sunt, & hîc tenenda volumus.

§. 10. Præterea (VII.) Literæ qvatuor leguntur suspensæ, ut Judic. XXIII. 30. litera נ in מְנַשֶּׁה suspensa pingitur, in margine additur, ד״ תְּלוּיִים, 4 literæ sunt suspensæ. Idem judicium esto de hâc notâ, ac de duabus proximè præcedentibus.

§. 11. Nec (VIII.) prætermittendum, qvod deprehendatur nota aliqva marginalis, qvam Circellus in textu positus respicit, indigitans puncta irregularia, & numerans voces irregulariter punctatas. e. g. Gen. XIX. 14. verbum צָאוּ dagesch habet ab initio in literâ, qvæ non est una è Begadkephath, id qvod notatur per ב׳ דגש i. e. bis occurrit dagesch ab initio in Zade. Conf. Exod. XII. 31. Similes notæ occurrunt etiam de vocibus qvibusdam, præditis extraordinariis punctis superimpositis, ut Gen. XIX. 33. ubi in margine ponitur vox נקור h. e. נָקוּר punctum super hanc vel illam literam. Conf. cap XVI. 5. & XVIII. &c.

§. 12. (IX.) Mentio facienda est illarum notarum, qvæ pausam in medio versu significant voce פיסקא, פְּיסְקָא pausa; Vid. Gen. XXVIII. 22. ubi Masora annotat כ״ה 25. versus esse in S. Codice, qvi in medio versus habeant pausam.

§. 13. Deniqve (X.) nota aliqva occurrit circa ם clausum in medio, Es. IX. in voce לַמַּרְבֶּה ad multiplicandum. Hujus variæ adducuntur ab interpretibus causæ; probabilior multis

No-

Noſtrûm videtur ea, qvæ indigitari vult admirandam Chriſti Nativitatem & conceptionem, factam ſalvâ virginitate. E regione מְ פְּתוּחָה h. e. apertum reperitur in fine Nehemiæ II. 13. Qvô ſignificari dicitur à plerisqve civitatis ac murorum rupturam, de qva c. l. Sed de hisce ſuis locis.

§. 14. Contractiùs poſſent notæ S. Codicis Ebræi marginales diſpeſci in qvinqve claſſes: (1.) eſt earum, qvæ voces mendosè ſcriptas corrigunt. (2.) qvæ anomalias ſignificant. (3.) qvæ diverſam lectionem indigitant. (4.) qvæ puncta extraordinaria vel irregulariter poſita indicant. (5.) qvæ pro vocabulis in vulgato ſermone apud Ebræos obſcœnis alia honeſtatis cauſa ſubſtituunt.

DEFINITIO.

§. 15. Ex his itaqve, de qvibus hactenus diſſeruimus, ſuâ ſponte ſeqvens fluit definitio: *Notæ* קרי וכתיב (in generaliori ſignificatione acceptæ) *ſunt notæ S. Codicis Ebræi marginales, à priſcis Ebræorum Sapientibus inventæ, voces mendosè ſcriptas corrigentes, anomalias ſignificantes, diverſas lectiones indicantes, puncta extraordinaria vel irregulariter poſita indigitantes, & pro vocabulis, in vulgato ſermone apud Ebræos obſcœnis, honeſtatis causâ alia ſubſtituentes: ut anomaliæ Sacræ conſtent, & textus Sacer ſine mendo & ſcandalo legatur.*

TANTUM!

(o)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0024
DFG

Eòdem modò CHRISTUM multa excepit turba … nes enim in eum intenti erant.

9. Ex hoc duo apparent. *Primò*, qvod … n directè nullibi localem inclusionem in Nov. Testam. … vod per-sonæ exceptionem honorificam, qvâ obedient … ratur, noret. *Secundò*, qvod verba שמוא רנקבלון … *qvem oportet cœlos ut* (tanqvam Dominum suum … *cipiant*; cui etiam obediant, nihil servile, sed majestatic… modum indicent. Adeoqve: *qvod Græcus Textus*, (m… æc ver-bis *Dn. Tarnovii* in Exercit. Bibl. p. 1170. edit. … 1627. qvàm nostris dicere) *authenticus dicat*, *qvid C… videli-cet qvod in sui exaltatione secundùm humanam … llatione ad dexteram Patris occuparit cœleste regnum & … plena-rium dominium: Syrus interpres contrariò ponat … fecerit; & qvomodo se gesserit, videlicet cum magna pro… ristum Dominum suum excepit. Ibi notatur majestas … Domini triumphantis: hic obsequium & reverentia crea… Opti-mè verò obsequium hoc cœlo tribui, vide proba… o apud Dn. Tarnovium.*

10. Et qvis ex istis nunc ita argumentari vel… romptè & cum obedientia CHRISTUM ut Dominum … vel illi promptè obedit, Ergò localiter eum inclusit. Ap… luden-di artem! Manet ergò, qvod pro nostra, non ve… parte stet Syra, qvod demonstrandum. Et hæc explica… optimè conveniet, de qvo vide *B. Menzer.* l. d. p. 102.

QVÆSTIO IV.

An particulæ ב ל כ *semper* ה *demonstrat… ejusq; Punctum assumant…*

1. Verissimum qvidem est, qvod ב כ ל … emon-strativum & Emphaticum, idqve … *ropter gravitatem lectionis*, dicente *Kimchi* in *Michlol*, … chara-cteristico qvandoqve, ut *Bellarmino* plura suggera… & Hi-phil id fieri asserimus, dicitur enim לָלִין pro הלין … *dum*, לְשַׁמִּיד *ad deperdendum* Es. 23, 11. בְּעַטֵּף *in ob…* בהעט Thren. 2, 11. בְּעִיר *in evigilando* pro בהעיר Psalm… per-petuum hoc esse negamus, exemplis contrariis me… Dici-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747239029/phys_0025
DFG